



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Cap. VII. De Domibus Professis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

## CAPUT VII.

## De Domibus Professis.

## SECTIO I.

De Fine, & Fundatione Domorum  
Professorum.

Finis Domorum  
Professorum. I.



T post emissa Vota biennii è Novitiatu prodeuntes ordinariè Collegia excipiunt : ita secundum Constitutiones statio eorum, qui Professionem, aut Vota Coadjutorum formatorum emiserunt, est in Domibus Professis. \* His igitur Domibus dandus hic locus, ut suus Collegiis tributus est, postquam Vota Scholasticorum explicata sunt. Et quidem Domus Professæ sunt ea domicilia, ad quæ reliqua in Societate ordinantur : nam Domus Probationis ad instituendos in virtute Novitios, Collegia ad Scholasticos in literis erudiendos instituta sunt ; Domus verò Professæ ad ea, quæ didicerint, exercenda, in salutem, & perfectionem proximorum; qui finis Societatis est ; & ad quem priores illæ institutiones, tanquam media, ordinantur. Quare nostri Instituti puritas

\* P. 6. c. 2. §.

3. 4. C. D. &

¶ p. 65.



in Domibus Profefsis præcipuè elucere debet. *b* Desideravit propterea Societas, ut erigendis Domibus Profefsis in magnis Civitatibus potiùs adjiceretur animus, quàm Collegiis multiplicandis. *c*

2. Ea igitur omnia Ministeria, quæ pro ratione sui Instituti ad juvandos Proximos in spiritualibus, & corporalibus Societas amplecti solet, unis exceptis Scholis, pertinent peculiari jure, ad Domos Profefsas: adeò ut, si contingat in eadem Urbe simul esse Domum Professorum, & Collegium, prædicta Ministeria ad Domos pertineant, non ad Collegia. *d* Quæ autem sint hæc ministeria, & quomodo pertractanda, inferiùs dicetur Part. 5. Non repugnat tamen, ut alicui in Domo Professa permittatur studiis se dedere. Immo expedit universos Prædicationi, & Confessionibus audiendis intentos ea studia frequentare; quæ usui futura sunt. *e* In quem finem Conferentiæ casuum conscientiæ bis singulis hebdomadis haberi debent; quibus Sacerdotes omnes, nisi alios quos Provincialis eximendos judicaverit, intersint. *f*

3. Pertinet autem ad Præpositum Generalem Domos Profefsas admittere; *g* sed

*g* P. 9. c. 3. §. 17. & R. Prov. 81.

*b* P. 3. c. 1. §. 27. & X & P. 7. c. 1. §. 1. & R. Præp. 37.

*c* P. 7. c. 1. §. 1. & C. 3. D 17.

*In iis qua Ministeria exercenda.*

*d* P. 3. c. 1. §. 27 & X. & P. 4. c. 8. §. 1. & P. 7. c. 4. §. 10. & R. Prov. 101.

*e* P. 3. c. 1. §. 27. & X.

*f* C. 9. D. 8. & C. 13. D. 17. & R. Prov. 57. & St. R. Prov. 13 & 15 & R. Præp. 57.

*Ad quem pertineat eas admittere, dissolvere, regere.*



hP. 8. c. 2. § 2.  
 & P. 9. c. 3. § 5.  
 & 17. 18. & P.  
 4. c. 2. § 3. &  
 c. 10. § 2. &  
 c. 11. § 2.  
 i P. 8. c. 3. A.  
 & C. 1. D. 42.  
 & C. 3. D. 21.

\* *Quinam Fundatores earum, & quatenus colendi.*

l C. 3. D. 41. &  
 C. 6. D. 20.

*Quid possidere queant Domus Professæ, & earum Ecclesiæ.*

dissolvendi facultatem non habet sine Generali Congregatione. *b* Eisdem porrò regere Præpositi munere, erit tantum Professorum quatuor Votorum. *i*

\* 4. Et quamquam eleemosynis quotidianis sustententur, ut mox videbimus: Fundatores tamen earum habendi sunt, qui dant Ecclesiam ad cultum Dei ornatam, & Domum suppellectili domestica, & librariâ sufficienter instructam. Pro huiusmodi autem Fundatoribus ea suffragia in ipsa Domo, & Provincia persolventur, quæ pro Collegiorum Fundatoribus toti Societati indicuntur, ommissa candelæ traditione. An alicui plus debeat, videat Generalis. *l*

§. Præcipuum est in Domibus Professis & earum Ecclesiis, eas non posse habere ullos redditus, vel possessionem ullam; præterquam quod ad habitationem, vel usum necessarium eis, aut valde conveniens fuerit: qualis esset, in usum convalescentium, vel subducentium se à turba, ut rebus spiritualibus vacent, locus aliquis solitarius, aère salubriori, & aliis commodis pollens: qui tamen nec aliis locandus; nec ex eo fructus, qui reddituum loco esse possint, percipiendi sunt: nam qui degunt in Domibus Professis, in solo Deo, cui inserviunt, fiduciam constituent;

&



& ex eleemosynis vivent. Quare ultra prædicta, quidquid stabile Domibus Professis datum fuerit, teneantur eo se exuere, ut suæ, aut Externorum paupertati consulant, illud quam primùm vendendo; non exclusâ per hoc temporis opportunitate ad vendendum. *Nullum domi jumentum, ad equitandum, pro aliquo de Societate ordinariè habeatur, nisi dispensante, ex gravi causa, Generali.*

6. Si quæ negotia verò, seu jura ad Domos Societatis, vel ad totum ejus corpus pertinent; quo pacem suam melius conservare possit Societas, Procurator Collegii, vel alius ex Coadjutoribus, vel demum aliquis extra Societatem, aut familia quæpiam, quæ Domus patrociniûm susciperet, jus Societatis ad majorem Dei gloriam, possit defendere.

SECTIO II.

De Reditibus & eleemosynis Domorum Professorum.

I. Circa reditus aliqua advertenda. I. Si aliquis Fundator Domorum, vel Ecclesiarum reditus aliquos, ad fabricæ usum, relinqueret; non esset à Paupertate

*m Ex. c. 1. §. 3. & P. 6. c. 2 §. 2. 3. & A. & §. 5. & E. & P. 10. §. 5. & Paul. III. p. 13. & Jul. III. p. 65. & Greg. XIII. p. 230. & R. Præp. 58. & 66.*

*n P. 6 c. 2. §. 14. & K. & R. Præp. 71. Per quos earum negotia procuranda.*

*o P. 6. c. 3. §. 7.*

*Quatenus iisdem annui reditus sint interditi.*



rate Societatis alienum illis frui : & sic in rebus similibus judicandum est. Duæ tamen conditiones servari debent : altera, ne dispositio eorum reddituum ad Societatem pertineat ; altera, ne Societati competat actio in illos ; quamvis id illi curæ esse possit, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret. ¶ Ob majorem etiam ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quemquam ad eleëmofynas perpetuas Domibus Professis, vel Ecclesiis earum relinquendas, incitare : & si aliqui sponte sua eas relinquerent, nullum jus civile, ad eas petendas in judicio, acquiratur ; sed cum ad id Caritas propter Deum eos moverit, tunc eas elargiantur. ¶

¶ P. 6. c. 2. B.

¶ P. 6. c. 2. §. 6. & B.

*Nec juvari possunt Collegiorum proventibus.*

¶ P. 6. c. 2. §. 3. & P. 4. c. 2. §. 5. & F.

¶ C. 7. D. 50.

2. Nec possunt Domus Professæ juvari redditibus Collegiorum, aut Domorum Probationis, præterquam in rebus minimis. ¶ Quæ distinctius supra tractata sunt, cum de Paupertate Professorum Cap. 3. Sect. 1. ageretur. Quod si contingeret relinqui Collegio perpetuos redditus, cum onere partem illorum annuè Domui Professæ erogandi ; quia Instituto repugnant, atque peculiari Professorum Voto, admittendi non essent. ¶ Secus dicendum, quando ad exædificandam Domum Professam, vel



vel ejus Templum, hujusmodi redditus designati essent. Quamquam cavendum, ne Domus Professæ diutiùs, quàm justa necessitas tulerit, talibus redditibus fruatur.

3. Permissum etiam Domui Professæ emptam sibi contiguam domum, habitationi aliquando, aut ædificando templo necessariam locare, & locationis pretio frui, ad breve tempus; quin & diutiùs; donec scilicet ære alieno, quod eam emendo contraxisset, locationis pretio se liberaverit.

4. Negatur autem Professis Domibus suscipere obligationes ullas ad Missas celebrandas, ad curam animarum, aliasque similes: quia Domus hæc stabiles redditus, Professi verò stabilem habitationem non habent.

5. Destitutæ igitur Domus Professæ redditibus perpetuis, indigent ad sui sustentationem eleëmofynis: circa quas considerandum, quomodo peti debeant, & à quibus. Circa primum cùm dubitatum esset, an emendicandæ essent eleëmofynæ, ostiatim, bis in hebdomada; qui mos permissus Romæ à S. Fundatore, sed non probatus; an potiùs per Procuratorem Domus, ut ibidem postmodum fiebat: y secundus institutus est; ita ut Procuratori alii ad hanc

P 4

rem

C. 11. v. 20.

*Et quatenus locatione contigua domus.*

u C. 7. D. 51.

*Non suscipiantur onera Missarum, & Animarum cura.*

x P. 4. c. 2. §.

4. & B. & P. 6.

c. 3. §. 6. & C.

*Quinam petere eleëmofynas debeant.*

y C. 1. D. 103.



- a P. 1. c. 2. A.  
 & P. 6. c. 2. §.  
 10. & R. Præp.  
 59. & R. Proc.  
 D. 5.
- Que forma in  
 mendicando ser-  
 vanda sit.*
- a P. 6. c. 2. §.  
 10. & C. 2. D.  
 56.
- b Ex. c. 1. §. 3.  
 & c. 4. §. 27.  
 & P. 4. c. 7. §.  
 3. & c. 15. §.  
 4. & c. 17. F.  
 & P. 6. c. 2. §.  
 7. & P. 7. c. 4. §.  
 4. & B. & P. 10.  
 §. 5 & R. Præf.  
 Eccl. 14. & R.  
 Pr. D. 7. & Or.  
 c. 4. §. 8.
- c P. 6. c. 2. §. 8.  
 & C. 2. D. 78.  
 & R. Præf. Ec-  
 cle. 15.
- rem substitui possint; & quidem ex Co-  
 adjutoribus temporalibus; modò quàm  
 paucissimi in mendicando occupentur.
6. Ceterùm placuit præcipere Nostri  
 omnibus, ut nulli Externo suadeant, ut  
 Nobis potius quam aliis pauperibus dent  
 eleëmofynas; sed in quotidianis simplici-  
 ter amore Domini nostri petant. Ad dona-  
 tiones verò, & legata, nostras tantùm ne-  
 cessitates explicare fas est; & eorum defi-  
 nitio largientium devotioni relinquenda.
- Præterea in petendis eleëmofynis prudentia  
 & modestia eluceat: caveaturque maxi-  
 mè, ne in iis quærendis, admittendisve  
 præjudicium fiat Instituto, quod attinet ad  
 ejus ministeria gratis exercenda.
- b Ad evi-  
 tandam etiam quamcumque avaritiæ spe-  
 ciem in Ministeriis, nulla sit in Ecclesia  
 arca; in quam conjiciantur eleëmofynæ,  
 vel pro Nostri, vel pro Externis.
- c Alia  
 quæ ad conservationem œconomicam Do-  
 mus Professæ faciunt, videri possunt in  
 Reg. Præp. Cap. 6. & in Reg. Proc. Dom.  
 præterea, quæ supra dicta sunt de Collegiis  
 Part. 2. C. 2. & ex parte Domibus Pro-  
 fessis conveniunt.



SECTIO III.

De Domo Professa Romana.

Domus Professa Romana, quæ prima in Societate erecta est, cum domicilio Præpositi Generalis cohonestetur, hoc etiam nomine peculiaria quædam statuta habet.

1. P. Generalis est Præpositus particularis hujus Domus; habere tamen debet Ministrum, aliosque Officiales, quorum operâ utatur ad ejus gubernationem; in quos si totam curam non rejecerit; sublevetur certè ab eis; & hujusmodi curæ occupatione liberetur. Potest etiam constituere in ea Vice-præpositum, cum ordinaria Præpositorum potestate, & consuetis Officialibus.

Ejus Superior,

¶ P. 9. c. 6. §. 5. & C. 2. D. 49. & 73.

¶ C. 4. D. 28.

2. Is habeat jus suffragii in Congregatione Provinciali, etiamsi non sit Professus quatuor Votorum; quamvis curandum sit, ut hoc Gradu non careat. Idem tamen, sive Minister, non sit ex numero Assistentium. Mortuo Generali intra Provinciam Romanam, absque nominatione Vicarii; vel hoc extincto, ante novi Generalis electionem, & absente Præsidente totius Provinciæ, cum Romæ celebranda est

Vice-præpositi jura.

¶ C. 4. D. 32.

Vi-



Form. Con. Vicarii electio, spectat ad Viceprepositum  
 Vic. § 3. & C. hujus Domus, si fuerit quatuor Votorum  
 12. D. 54. Professus, præesse Congregationi ad eli-  
 gendum Vicarium. §

Expensa Secre-  
 taria.

h C. 4. D. 18.

Processio Corpo-  
 ris Christi.

i C. 3. D. 35.

3. Ad levandam Domum magno gra-  
 vamine plurium Scriptorum in Secreta-  
 ria, cum hos contributione Provinciarum  
 alendos esse non videretur (nam speciem  
 præferret cujusdam proventus) P. Generali  
 commendatum est, ut aliam honestam ra-  
 tionem ineat eos sustentandi. h

4. Processio Corporis Christi & Sacrum  
 solemne diebus Festis præscripta sunt huic  
 Domui à Greg. XIII. i



PARS